

1929

## 46 CAP.I. DE ACQUISIT. QUESTUS MERETRICII,

qui vel tanquam inhabilis impediatur, vel à Jure expressè prohibetur L. 5 pr. ff. de probat. Gl. in L. 4. ff. qui test. fac. poss. Cùm

igitur meretrix, quā talis, neque ob vitium aliquod vel corporis, vel animi inhabilis ad testandum deprehendatur; neque in Jure

usquam testari prohibeatur: sequitur etiam, quod facultas testandi ipsi libera sit permitteada, Cyn. in L. 2. C. de condicē. ob turp.

caus Bald. in L. 1. C. eod. & in e. cum decorem X. de vit. & bon. Cler.

Dec. in L. 1. C. de secund. nupt. n. 5. Jo. Cephal. lib. 4. Conf. 523. num.

124. Nec officit, quod meretrix sit persona infamis; cùm sola

infamia non tollat testamenti factionem activam, Salycet. in d. L.

1. C. de secund. num. 3. Neque destituimur exemplis: sic enim

Flora nobile scortum, cum magnas opes ex arte meretricia quæsi-

visset. Populum Romanum scripsisse fertur heredem; certamque

pecuniam reliquisse, cuius ex annuo fœnore natalis ejus celebrare-

tur editione ludorum, quos Florales sive *Floralia* appellârunt,

quod cum Senatui flagitiosum videretur, ab ipso nomine argu-

mentum sumi placuit; atque ut pudendæ rei quædam dignitas

adderetur, Floram fixerunt esse Deam, quæ floribus præcesset;

eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus.

benè prospereque florescerent. conf. Val. Max. lib. 2. c. 4. Lil. Gy-

rald. Hist. Deor. Syntagm. 1. add. Al. ab Alex. lib 6. Gen. Dier. c. 8

34 Proinde libertati testandi meretricum nihil est derogandum. Ideo-

que liberos etiam suos quia ob aliquam ingratitudinis causam

exhæredare valeant, indubium est: sed filiam tamen meretricem

ipsa mater meretrix vix cum effectu exhæredabit per L. in arenam

n. C. de inoff. testam. quia infame istud vitæ genus, quod in se pro-

bat mater, in filia reprobare nequit: nisi fortean mater ante con-

ditum testamentum vitam suam emendaverit, & ad meliorem

frugem redierit. Conf. præter allegatos à B. Dn. Brunnem. ad d. L.

11. n. 7. Cels. Bargal. Tr. de dolo lib. 6. n. 60. p. 743. Hippol. Riminald.

lib. 1. conf. 57. n. 28.

Sed uti meretrix meretur laudem, quæ adhuc incolumis

35 turpem atque illicitum quæstum suum in miseris & pauperes col-

locat, ac de malè quæsitis proximo egenti benefacere studet: ita

pèc vituperanda erit, si memor mortalitatis suæ in Testamento vel

pias